

UTHORITATIS PONDERE, IUDICII ROBORE,

CONSILIIQUE GRAVITATE VIRIS VERE ORNATISSIMIS, UT ET ÆQUITATIS ALMÆ PERACTIONE CELEBERRIMIS D. *JOHANNI ENDICOTTO* EXIMIÆ MASSACHUSETTENSIS COLONIÆ RECTORI FIDELISSIMO, PLURIBUS NOMINIBUS OBSERVANDO; COETERISQUE TOTIUS HUJUSCE POLITIÆ *NOV-ANGL:* PROCURATORIBUS STUDIOSISSIME COLENDIS, NEC NON ETIAM QUA DOCTRINA, QUA PIETATE, SPLENDIDISSIMIS ECCLESIA-*RUM LUMINIBUS, REVERENTIA (QUANTA POTEST ESSE MAXIMA) PROSEQUENDIS:*

Universis porrò et singulis passim locorum ingenuarum Artium cultoribus, et patronis humanissimis,

Theses hasce, quas (favente Numine) sub Henrico Dunstero *Collegij Harvardini Præside, in propatulo pro virium suarum modulo defensum ire nervos intendunt suos, (officij, observantiæ, & gratitudinis ergò) tenelli Musarum alumni* P. D. D. D. Q.

Edvardus	Rawson.	Joshua	Moodæus.
Samuel	Bradstreet.	Joshua	Ambrosius.
Joshua	Long.	Nehemias	Ambrosius.
Samuel	Whiting.	Thomas	Crosbæus.

THESES TECHNOLOGICÆ.

A*RS est entis regula.*
2 *Proprium et formale recipiens artis est intellectus.*
3 *Ens arti adæquatur.*
4 *Ἀφαίρεσις est et ejusdem, & diversarum artium.*
5 *Non ens non est entis causa.*
6 *Quicquid est, est positivè bonum.*

LOGICÆ.

D*ialectica est Sol microcosmi.*
2 *Argumenta sunt Logici radij.*
3 *Ens et non ens sunt subjectum dialectices.*
4 *Nihil arguit seipsum.*
5 *Causa et effectum sunt ὁμόχρονα.*
☞ FORMA NON INFORMAT MATERIAM SED TOTUM COMPOSITUM.
7 *Opposita æquè dissentanea sunt sed non æqualiter dissentiunt.*
8 *Privantia quàm maximè pugnant.*
9 *Orta sunt primorum symbola.*
10 *Conjugata contrariorum inter se contrariantur.*
11 *Sublatâ quavis parte tollitur totum.*
12 *Natura communis non existit nisi in singularibus.*
13 *Species formaliter distinguuntur.*
14 *Nullum testimonium humanum per se est αὐτόπιστον.*
15 *Scientia est necessariorum, opinio contingentium.*
16 *Axioma discretum non ingreditur syllogismum.*
17 *Logica non docet fallacias.*
18 *Methodus intelligentiæ parens est, magistra memoriæ.*

GRAMMATICÆ.

I*N Arte Grammatica nulla datur Anomalia.*
2 *Vocales per se sunt mobiles.*
3 *Nominum genera inter trinarium numerum comprehenduntur.*
4 *Substantiva rem abstractam, adjectiva rem concretam denotant.*
5 *Litera gutturalis in lingua sancta punctat et se & literam præcedentem.*
6 *Benoni usurpatur pro præsenti quo carent Hebræi.*
7 *Omnis præpositio dissyllaba apud Græcos accentuatur in ultima.*

RHETORICÆ.

R*Hetorica est affectuum hortus.*
2 *Elocutio est florum Rhetoricorum area, Pronuntiatio odorum expiratio.*
3 *Tropus et Figura sunt flores Rhetorici.*
4 *Metaphora est rhetorices Rosa.*
5 *Prolatio est vividus Ironiæ color.*
6 *Allegoria est Troporum servia.*
7 *Figura Tropo naribus jucundior.*
8 *Styli affectatio est Herba noxia.*
9 *In horto Rhetorico nidulans, Emphasis est avis dulcissimè modulans.*
10 *Elegantia numeri est Rhetoricæ sepes.*

THESES MATHEMATICÆ.

N*Umerus numeratus pendet à numero numeranti.*
2 *Numeratio per integros & per partes idem valet.*
3 *Ut unitas ad multiplicantem, sic multiplicandus ad factum.*
4 *Ut dividendus ad divisorem, sic quotus ad unitatem.*
5 *Parium pares sunt Toti, Reliqui, Facti.*
6 *Linea fit è fluxu punctorum.*
7 *Omnes figuræ isoperimetræ non sunt æquales.*
8 *Quadratum dupli est quadruplum ad quadratum dimidij.*
9 *Quadratum è diagonio quadrati est duplum ejus.*
10 *Radius circuli est latus inscripti sexanguli.*
11 *Ordinata sex triangula, sexangula tria planum, octahedra novem solidum complent locum.*

PHYSICÆ.

N*Ullum super-naturale est contra-naturale.*
2 *Materia plurimum ubi perfectionis minimum.*
3 *Corpora in latione sunt contigua.*
4 *Omnis natura est extremis finita suis & divisione.*
5 *Locus et corpus se mutuò terminant.*
6 ☞ MUNDUS EST IN LOCO.
7 *Quælibet stella de proprio lucet.*
8 *Non dantur duæ primæ qualitates in eodem elemento.*
9 ☞ GENERATIO ET CORRUPTIO FIUNT IN INSTANTI.
10 *Meteora sunt corpora perfecta, imperfectè mista.*
11 *Mare fontium perennium est fons.*
12 *Idem numero animal accidentaliter differat à seipso.*
13 *Anima rationalis in statu separato intelligit.*
14 *Nihil est in voluntate quod non fuit prius in intellectu.*
15 ☞ VOLUNTAS EST LIBERA.
16 *Malum non appetitur formaliter.*

ETHICÆ.

A*D beatitudinem via regia est virtus.*
2 *Nullus vir bonus potest dici miser, nec malus fælix.*
3 *Vitia vincere victoria maxima.*
4 *Patiens est fortis.*
5 *Ebrietas non excusat delictum.*
6 *Donum non tam ex dati valore, quàm ex dantis animo pensandum.*
7 *Tacere simpliciter non est præstantius quàm loqui.*
8 *Comitas est societatis civilis vinculum.*
9 *Amare quàm amari melius.*
10 *Vera voluptas est socia virtutis.*
11 *Finis quò ultimo proximior eò melior.*

Cantabrigiæ Nov-Angl: Decimo Sextilis Anno Dom: CIϽ IϽC LIII.